

28 Iulii

Beatae Mariae Teresiae, virginis et martyris

Teresia a Iesu Infante anno 1902 Varsaviae nata est; apud Moniales Clarissas Capuccinas in coenobio urbis Przasnysz habitum induit die 12 mensis Augusti anno 1923. Sequenti anno die 15 mensis Augusti temporaria et anno 1927 perpetua vota emisit. Quamvis adversa afficiebatur valetudine, erga omnes benignam usque se praebuit. Orationis spiritu et actuositatem eminuit. Die 2 mensis Aprilis anno 1942 Germanici milites irruerunt in monasterium et moniales comprehenderunt, transferentes eas in campum captivitatis loci Działdowo. Aerumnis carceris consumpta, die 25 mensis Iulii anno 1941 Domino animam tradidit. Tribulationes Deo obtulit ad libertatem monialium impetrandam; quae revera, duabus vix elapsis hebdomadis ab eius obitu, libertatem attigerunt. Ioannes Paulus II die 13 mensis Iunii anno 1999 inter beatos caelites cooptavit eam simul cum aliis 107 martyribus alterius belli mundialis.

De Communi unius marlyris vel virginum

Ad Officium Lectionis

LECTIO ALTERA

Ex homilia Ioannis Pauli II occasione beatificationis CVIII martyrum qui occubuerunt altero bello mundiali grassante (AAS XCI, 1999, pp. 1051-1056).

Testimonium victoriae Christi

“Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur” (Mt 5, 7).

Hodierna Liturgia peculiarem nostris gratiarum actionibus tribuit sensum; facultatem enim largitur perspicendi quidquid in nostrae aetatis historia evenit, sub prospectu Dei misericordiae, quae plenius in salvifico Christi opere revelatur. Iesus “traditus est propter delicta nostra et suscitatus est propter iustificationem nostram” (Rom 4, 25). Paschale mysterium mortis et resurrectionis Filii Dei historiae hominum novum assignavit ordinem. Si in hodiernis hominum gestis dolentia contumimur vestigia malignitatis, eam tamen novimus mundi hominisque conditionibus dominari non posse, vincere non posse. Haec certitudo oritur ex fide in misericordiam Patris qui «sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam» (Io 3, 16). Quapropter, dum sanctus Paulus ostendit fidem Abraham, qui “in repromissione Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide” (Rom 4, 20), facultas nobis data est agnoscendi fontem huius virtutis, cuius ope gravius quoque tribulationes nos a caritate Dei separare non poterant. «Munire digneris me, Domine Iesu Christe (...) signo sanctissimae Crucis tuae: ac concedere digneris mihi (...) ut, sicut hanc Crucem, Sanctorum tuorum reliquiis refertam, ante pectus meum teneo, sic semper mente retineam et memoriam passionis et sanctorum victorias Martyrum»: en precatio quam Episcopus recitat dum Crucem pectori sibi imponit. Hodie hanc adhibentes precationem, facimus ut precatio haec simul fiat universae Ecclesiae in Polonia, quae, mille abhinc annis signum gerens Passionis Christi, semine sanguinis martyrum semper regeneratur et vivit memorans victoriam quam illi hic in terris adepti sunt. Hoc ipso die recolimus victoriam eorum qui nostra aetate pro Christo vitam tradiderunt, terrenam quidem vitam ut illam per saecula in eius gloria reciperent. De peculiari agitur victoria, cuius sunt participes ecclesiastici et laici, iuvenes et senes, personae diversi ordinis et status. Quos inter refertur Archiepiscopus Antonius Iulianus Nowowiejski, Pastor dioecesis Plocensis ad mortem cruci in loco Działdowo; cui adiungitur Episcopus Wladyslaw Goral Lublincensis, pertinaci afflictus odio tantummodo ob suam conditionem episcopi catholici. Recensentur insuper presbyteri dioecesani et religiosi, qui morti occubuerunt quoniam ministerium relinquere noluerunt, et alii qui mortem obierunt inservientes sociis captivis, typho correptis; nec desunt qui suppliciis ad mortem

sunt excruciatí ob defensionem Hebraeorum. In beatorum ágmine adscribuntur fratres religiosi et sorores, qui constantes se praebeuerunt in exercenda caritate et in tormentis pro proximo offerendis. Hos inter beatos martyres adnumerantur quoque laici: ex quibus quinque iuvenes apud Oratorium Silesianum formati; strenuus quidam impulsor Actionis Catholicae; alius vero catechista laicus ad mortem tormentis vexatus propter suum apostolatum, et tandem heróica quaedam mulier quae libenter animam reddidit in loco vitae nurus praegnantis. Hi quidem beati martyres nunc adscribuntur fastis sanctitatis Populi Dei, qui in terra Polonica plus quam mille annis peregrinatur. Si ob beatorum caelorum honores centum et octo martyribus clericis et laicis tributos hodie collaetamur, id praesertim facimus quoniam illi testimonium reddunt de Christi victoria, quae donum est nobis spem retribuens. Dum haec sacra peragimus sollémnia, certitudo nostra quodam modo roboratur, nempe quod in his omnibus supervincimus per eum, qui dilexit nos (cfr Rom 8, 37). Beati martyres clamant ad cor nostrum: Credite Deum esse amorem! Hoc credite sive in prosperis sive in adversis! Spem in vobis suscite! Ipsa quidem in omni tribulatione vobis fructum adferat fidelitatis erga Deum! Laetare Polonia, in novis beatis. Ecce «divitiae gratiae eorum», ecce fundamentum nostrae indefectibilis fiduciae in salutari Dei praesentia per hominis vias hoc in tertio millennio! Ipsi gloria in saeculum saeculi.

RESPONSORIUM

- R.** O quam pulchra es, virgo Christi * Coronam Domini digna fuisti accipere.
V. Non poteris a virginitatis palma seduci, nec ab amore Fuji Dei separari.
R. Coronam Domini digna fuisti accipere.

Vel:

ALTERA AD LIBITUM

Ex Epistolis sancti Cypriani, episcopi et martyris.

(Epist. 6, 1-2 ; CSEL 3, 480-482)

*Qui ad Domini promissa venire cupimus
imitari Dominum in omnibus debemus*

Saluto vos, fratres carissimi, optans ipse quoque conspectu vestro frui, si me ad vos pervenire loci condicio permetteret. Quid enim mihi optatius et laetius posset accidere quam nunc vobis inhaerere, ut conplecteremini me manibus illis quae purae et innocentes et dominicam fidem servantes sacrilega obsequia respuerunt?

Quid iucundius et sublimius quam osculari nunc ora vestra quae gloriosa voce Dominum confessa sunt, conspici etiam praesentem ab oculis vestris qui despecto saeculo conspiciendo Deo digni extiterunt?

Sed quoniam huic laetitiae interesse facultas non datur, has pro me ad aures et ad oculos vestros vicarias ut in confessione caelestis gloriae fortes et stabiles perseveretis et ingressi viam dominicae dignationis ad accipiendam coronam spiritali virtute pergatis, habentes Dominum protectorem et ducem qui dixit: *Eecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem mundi.*

O beatum carcerem quem inlustravit vestra praesentia! O beatum carcerem qui homines Dei mittit ad caelum! O tenebras lucidiores sole ipso et luce hac mundi clariores, ubi modo constituta sunt Dei templa et sanctificata divinis confessionibus membra vestra!

Nec quicquam nunc versetur in cordibus et mentibus vestris quam divina praecepta et mandata caelestia, quibus nos ad tolerantiam passionis Spiritus Sanctus semper animavit. Nemo mortem cogitet sed immortalitatem, nec temporariam poenam sed gloriam sempiternam, cum scriptum sit: *Pretiosa est in conspectu Dei mors iustorum eius*. Et iterum: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicit*.

Et iterum ubi loquitur Scriptura divina de tormentis quae martyras Dei consecrant et ipsa passionis probatione sanctificant: *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est...Iudicabunt nationes et dominabuntur populis et regnabit Dominus eorum in perpetuum*.

Quando ergo iudicaturos vos et regnaturos cum Christo Domino cogitatis, exultetis necesse est et futurorum gaudio praesentia supplicia calcetis, scientes ab initio mundi sic institutum ut laboret istic in saeculari conflictatione iustitia, quando in origine statim prima Abel iustus occiditur et exinde iusti quique et prophetae et apostoli missi.

Quibus omnibus Dominus quoque in se ipso constituit exemplum, docens ad suum regnum non nisi eos qui se per suam viam secuti sint pervenire dicens: *Qui amat animam suam in isto saeculo, perdet illam, et qui odit animam suam in isto saeculo, in vitam aeternam conservabit illam*. Et iterum: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere. Magis autem metuite eum qui potest et animam et corpus occidere in gehennam*. Paulus etiam nos adhortatur ut qui ad Domini promissa venire cupimus imitari Dominum in omnibus debeamus. *Sumus, inquit, filii Dei: si autem filii, et heredes Dei, coheredes autem Christi, siquidem compatiamur ut et conmagnificemur*.

RESPONSORIUM

R. Proelitantes nos et fidei congressiones pugnantes, spectat Deus, spectant angeli eius, spectat et Christus. * Quanta est gloriae dignitas, et quanta felicitas praesente Deo congregari, et Christo iudice coronari.

V. Armemur viribus totis et paremur ad agonem mente incorrupta, fide integra, virtute devota.

R. Quanta est gloriae dignitas, et quanta felicitas praesente Deo congregari, et Christo iudice coronari.

ORATIO

Deus qui celebratione beatae Mariae Teresiae, virginis et martyris, Ecclesiam tuam laetificas, dona nobis quoque, eius intercessione et exemplo, fortitudinem mentisque puritatem, ut per viam crucis Christi vestigia sequamur. Qui tecum vivit.